

## **Statuten 1548 Latein**

### **Transkription Kersten Krüger und Hilde Michael 2010**

#### **Generalia duo<sup>1</sup>**

In primis statuit academia, ut vetera statuta, quae Jus et dignitatem tam scholastici,<sup>2</sup> quam civilis magistratus concernunt, et vel quae propter prolixitatem vel asperitatem sermonis in praesentia non proponuntur vim suam auctoritatemque retineant, neque ab ullo negligentur, sub poena suis locis adscripta.

Quae<sup>3</sup> vero sequuntur desumpta ex veteri volumine statutorum, quorum observationibus quisque, catalogo rectoris adscriptus, sese sacramento subiecit. Et si hactenus aliquo intervallo temporis negligentius observata sint, nemine videlicet eorum observationem admodum urgente, tamen deinceps placuit horum nihil oportere negligi, tam a professoribus quam discipulis

Anno domini 1548, 12 Decemb.

#### **Statuta academiae Rostochiensis de studiis et moribus auditorum in schola proponenda<sup>4</sup>**

##### **Primum<sup>5</sup>**

In primis statuit universitas, quod inscribendus a rectore in catalogis studentum, numerabit marcam lubecensem, cursoribus vero quatuor β<sup>6</sup> lubecenses. superiores autem ut sunt principum, baronum, comitum, liberi, nec non maioribus beneficiis ecclesiasticis dotati, solvant duas marcas lubecenses, cursoribus vero octo β lubecenses.

A filiis autem civium oppidi Rostochiensis, pro inscriptione nihil quidem, nisi quod cursoribus numerari consuetum est, exigatur.

---

<sup>1</sup> Die Seiten, auf denen die Universitätsstatuten des Jahres 1548 im Statutenbuch geschrieben worden sind, tragen keine Seitenzahlen aus ihrer Entstehungszeit. Sie sind mit den Buchstaben A bis P gekennzeichnet. Diese Buchstaben sind mit einem Stift mit blauer Schreibflüssigkeit wohl in der jüngeren Vergangenheit geschrieben worden.

<sup>2</sup> Die ersten Worte der Einleitung sind in roter Schrift geschrieben: „Imprimis...Scho“.

<sup>3</sup> Das „Q“ bei dem Wort „Quae“ in der Einleitung ist in roter Schrift geschrieben.

<sup>4</sup> Die Überschrift „Statuta academiae...proponenda“ ist im Statutenbuch in roten Majuskeln geschrieben.

<sup>5</sup> Die Nummerierung ist im Statutenbuch stets eingerückt. Die Schriftfarbe der Zahlwörter ist durchgängig rot.

<sup>6</sup> β wird als Kürzel für Schilling verwendet. [www.gis.uni-greifswald.de](http://www.gis.uni-greifswald.de).

### Secundum

Statuimus rector et consiliiarii, ne quisque hanc academiam studiorum causa ingressus, ultra octo dies differat inscriptionem apud rectorem, neque patiat se prius deponi a suo praeceptore, cui commissus est, et cuius aedes est habitaturus, quam nomen rectoris catalogo dederit, alias quod depositionis loco datum est, irritum habebitur, neque ad auditorium ullum privatum aut publicum admittatur, nisi prius inscriptus.<sup>7</sup>

### Tertium

Doctores, et reliqui professores de concilio, et regentes, dent cursoribus singulis annis octo ß lubecenses, Alii magistri quatuor, baccalaurei et studentes in iure tres, reliquii discipuli de consensu universitatis posthac singulo quartali dabunt unum solidum lubecensem.

### Quartum

Statuimus, ut nullus magistrorum, in hanc academiam ingressum, ultra octavum diem ab ingressu apud se retineat non inscriptum, quin rectori indicet, quo tempore elapso scilicet octavo die, solvat poenæ nomine pro inscriptione duplum: quod si inscribi nolit, sed tantum hic divagari, et pecuniam studiorum causa comparatam otio et luxu perdere, literis, si fieri potest, id parentibus, aut loci unde venerit senatui indicetur.<sup>8</sup>

### Quintum

Nullus huius oppidi aut civis, aut inquilinus, studentem hospitem domi suae habeat ultra quindecim dies habitantem, aut rectori vel concilio universitatis repugnantem inobedientem, sub poena senatus arbitrio fisco adtribuenda, nisi eius rei habuerit a rectore vel concilio manifestam permissionem.

### Sextum

Nullus studentum habitet alibi, quam in aedibus scholasticis destinatis nisi ex causa hac lege per Concilium absolutus sit, et vema impetrata quam lapsis sex mensibus denuo inpetret.<sup>9</sup>

---

<sup>7</sup> Im Statutenbuch ist „...neque ad...inscriptus.“ wahrscheinlich rot unterstrichen.

<sup>8</sup> Unter dem Text ist in deutlich kleinerer Schrift eine Anmerkung. Diese ist bislang nicht entzifferbar.

<sup>9</sup> Im Statutenbuch ist an dieser Stelle eine bislang nicht zu entziffernde Randbemerkung zu erkennen. Die Schrift ist verlaufen.

### Septimum

Statuit universitas, ut si aliquod membrum academiae, et ascriptum catalogo studiosorum publicas lectiones non audiverit, nec proprium praecceptorem regentem habuerit, super ea re admonitus nihilominus negligens et desidiosus perseveraverit, in patriam vel ad parentes ex academia relegatur.<sup>10</sup>

### Octavum<sup>11</sup>

Statuit universitas, ne quis dolo aut fraude alterius nomen apud rectorem pro suo<sup>12</sup> fraudulenter inscribi curet, propterea inscribendus quendam testimonii loco adducat, qui sciat, eum inscribitur, esse tali nomine et cognomine, quo se inscribi petit.

### Nonum

Statuit academia, ut liceat cuivis discipulo, denunciare et reserve ad rectorem vel promotorem omnia quae negligentia, culpa, dolo, aut ullo alio delicto committuntur a professoribus, regentibus et praelegentibus circa lectiones, disputationes et domesticam disciplinam in quacunque facultate seu genere studiorum. Simuliter potest ad rectorem vel promotorem referre, si non aequo moderamine omnes retineat in officio is, qui regimini praestare, sed alios severe alios indulgenter nimis tractet.

### Decimum

Nulla facultas aliquid statuat, aut conetur, quod sit adversus universitatem, aut ullam aliarum facultatum, et si factum, sit irritum et pro nihilo habeatur,

### Undecimum

Item vetuit academia, ne professores, vel facultas aliqua, alteri ulli detrahat, aut convitium dicat, sed se mutuo honore et benevolentia profesequentur: Quod si contra quisque fecerit, statim ipso facto ab actibus publicis, et concilio exclusus sit, donec in eo se emendaverit, et laesis a se dictis, factisque reconciliatus fuerit, qui si nolit admoneri plane extra academiam habeatur.

---

<sup>10</sup> Im Statutenbuch ist an dieser Stelle eine bislang nicht zu entziffernde Randbemerkung zu erkennen.

<sup>11</sup> Neben „Octavum“ ist im Statutenbuch eine bislang nicht zu entziffernde Randbemerkung zu erkennen.

<sup>12</sup> Im Statutenbuch ist das Wort „suo“ zwischen den Zeilen in deutlich kleinerer Schrift nachgetragen worden.

#### Duodecimum

Statuit academia, ut facultas theologica summa sit, et doctores theologi cunctis praeferantur alterius facultatis doctoribus. Secundum locum servant doctores juris, tam canonici, quam civilis. Tertium medicinae professores. Artium vero facultas, et eius professores, locum ordinis in concessu et congressu habeant quartum, in quo ordine spectabitur tempus promotionis, et receptionis, nisi quod decanus facultatis artium semper primum inter magistros artium obtinebit locum. Omnibus tamen academiae rector quacunq;ue in facultate fuerit semper et ubique aliis praefertur.

#### Decimum tertium

Item nemo doctorum vel magistrorum contra ordinationem quam semper ista academia retinuit nitatur aliquem discipulorum promovere sub poena centum aureorum et exclusionem tam promoti quam promoventis.

#### Decimum quartum

Nullus item promoveri conetur nisi huius academiae membrum inscriptum, neque ab ullo promotionem accipiat, quin non sit huius scholae iuratus, neque ab aliquo qui iuxta statuta universitatis ab officio scholae est suspensus vel remotus.

#### Decimum quintum

Item statuit ut<sup>13</sup> rector academiae quavis septimana semel, scilicet die mercurii, iudicando vacet, nisi aliis etiam diebus, propter peregrinos extra ordinarie ius dicere oporteat.

#### Decimum sextum

Nullus regentium in domibus privatae disciplinae retineat, aut foveat apud se dyscolum, et improbis moribus praeditum, unde reliqui infici possent sub poena unius fl.<sup>14</sup>

#### Decimum septimum

Item studiosi regentibus commissi debitum honorem et obedientiam eis semper praestent, in re quavis licita et honesta.

---

<sup>13</sup> Im Statutenbuch ist das Wort „ut“ in deutlich kleinerer Schrift zu lesen. Es ist wohl im Nachgang zwischen die Worte „statuit“ und „Rector“ ergaänzt worden.

<sup>14</sup> „fl.“ Ist das Kürzel für Gulden. [www.hinterpommern.de](http://www.hinterpommern.de).

#### Decimum octavum

Item studiosi cum suis regentibus contendere non debent, nec aliquid convitii aut contumeliæ iisdem exhibere, sub poena Relegationis vel arbitraria.

#### Decimum nonum

Item omnes domus privatarum disciplinarum claudi diligenter debent vesperi post redditum signum horæ nonae, sera bene munita, cuius clavis non sit alteri commissa quam rectori domus, aut eius adiutori.

#### Vigesimum

Propter malos mores ex praedictis domibus dimissus, integrum solvet canonem, seu pactam pro inhabitatione mercedem poenæ loco, hoc autem modo dimissus, alibi non recipiatur ab ullo, nisi impetrata permissione a rectore vel concilio universitatis. Si vero propter petulantiam aut nequitiam dimissus receperit alius, non impetrata vema a rectore vel concilio; suspensus sit a regimine, praeterea solvat fisco universitatis decem aureos.

#### Vigesimum primum

Item latine loqui sub poena pecuniaria cogantur discipuli a regentibus. Nec minus illi puniantur, qui tempore publicarum lectionum vagantur, mulcta quatuor solidorum, quam rector domus exigere<sup>15</sup> tenetur. et nisi solverit rectori academiæ indicare, sub poena octo solidorum.

#### Vigesimum secundum

Nullus item discipulorum contumelia aut inunrialt alterum afficiat, aut etiam obscœna loquatur, sub pœna pro qualitate commissi exigenda.

#### Vigesimum tertium

Item decrevit universitas, ne quisquam domum conducat ad docendum nisi ex concilio, et ordinatione concilii academiæ, sub pœna decem aureorum, et dimissione a regendo.<sup>16</sup>

---

<sup>15</sup> Im Statutenbuch ist „exigere“ rot unterstrichen.

<sup>16</sup> Im Statutenbuch ist „ne...nisi“ unterstrichen.

#### Vigesimum quartum

Item quaequa domus in qua est privata disciplina, tabulam habeat aperte pendentem, in qua statuta domus inscripta sint, sub poena quatuor florenorum, quam qui corruperit, instituet reformatam, et mulctæ loco aureum numerabit.

#### Vigesimum quintum

Rectores aedium privatarum astringantur sacramento ad statutorum observationem, et quod nullum actum aut lectionem publicam impedian, neque iuxta formam veteris statuti maiore se numero onerent quam quadraginta discipulis, si sint soli, aut quinquaginta si habeat socium.

#### Vigesimum sextum

Themata disputationibus proponant ex artibus deducta non intricata, nec mutilia, nec absurda, nec contra bonos mores facientia.

#### Vigesimum septimum

Item facta generali per rectorem convocatione, vel per decanum suae facultatis, omnes praescripto tempore adsint, nec ante finem actus scholastici, nisi necessitate aliqua impediti, abeant, sub poena marcae sundensis.

#### Vigesimum octavum

Item quisque meminerit se obedientiam et honorem congruum debere, inprimis rectori, tanquam summo scholæ magistratui, quem illi ubique reverenter exhibeat. Item consulibus de schola bene merentibus et patronis, quovis loco conspectis, aperto capite reverentiam attribuere. Deinde doctoribus, licentiatis, artium magistris, baccalaureis, et maxime eis, qui consiliariorum et professorum numero habentur.<sup>17</sup> Item doctoribus et licentiatis in scholam venientibus, semper assurgendum, sive ad docendum, sive ad ornandum actum scholasticum venerint, magistris etiam professoribus ad orandum venientibus, quoque assurgendum, et reliquis magistris omnibus.

---

<sup>17</sup> Im Statutenbuch ist nach „habentur“ die Wortgruppe „digno honore prosequantur“ gestrichen worden. Die gestrichenen Worte werden in die Edition nicht mit aufgenommen und bleiben somit auch in der Übersetzung unbeachtet.

### Vigesimum nonum

Item statuimus ut omnes studiosi huius academiae debeant procurare et conservare honorem et dignitatem academiae, urbis et consulatus.

### Tricesimum

Item statuimus ne quisque condiscipulum, aut contubernalem, aut civem, verbo vel facto, iniuria, ac contumelia, obloquendo, detrahendo, exprobrando afficiat, sub poena, iuxta contumeliae qualitatem et magnitudinem, rectoris vel concilii arbitrio constituenda.

### Trigesimum primum

Item cautum est pluribus statutis, quibus suam auctoritatem et vim relinquimus inviolatam, quorum haec est sententia: Nemo, vel discipulus vel membrum cuiuscunque conditionis, status aut dignitatis, causa exorta etiam qualibet intereum, et quempiam huius urbis civem, sive ex oppido, sive ex senatus Rostochiensis territorio sit, civis aut inquilinus adversarium suum citet, aut evocari sollicitet, ad tribunal aliud, quam consulare, salvo tamen rectoris et universitatis privilegio, nisi senatus distulerit ultra duos menses iustitiae administrationem actore munito: quo eveniente, coram episcopo, archidiacono loci aut eius ordinario, agi poterit, quod statutum violans, poenam periurii incurret ipso statim facto.

### Tricesimum secundum

Statutum quoque est, ut absens propter delictum, accepta securitate, seu pace publica, citatus per rectorem, sub poena periurii compareat.

### Tricesimum tertium

Homines honestos approbasse longum vestitum constat, et iniudicasse pudoris et modestiae significationem esse. Ideo praecipimus [,] ut adolescentes iuxta iuramentum praestitum veste honesta ac decenti utantur.

### Tricesimum quartum

Gladii et pugionum usum plane interdicti statuit academia studentibus intra muros, et pugionum quos quidam argento ornatos sibi accingunt, ut infra ex pallio pendeant. Ita posthac ferentium eiusmodi cadant in commissum partim promotori, partim fisco.

#### Trigesimum quintum

Interdicimus quoque istam pravam societatem noctu cursitantium, cum clamore, cum tybiis, cum omni organo<sup>18</sup> Musico, quod vel inflando vel pulsando efficit sonum, sub poena dimidii aurei.

#### Trigesimum sextum

Publicarum domorum ingressus, ubi potatur, luditur aut nequius aliquid committitur, sub poena fl. unius, fisco adtribuenda interdicimus.

#### Trigesimum septimum

Interdictum est, cellis tam vinariis quam cerenvisiariis adeundis, sub poena quarti Rhenam.

#### Trigesimum octavum

Gladiatoria nemo utatur publice, nisi prius impetrata venia a rectore, sub poena aurei solidi.

#### Trigesimum nonum

Aleae lusum interdicimus, non solum poena legibus constituta, ut scilicet is qui perdit habeat repetitionem, sed ut praetor hanc, fisco solvat octo β lubecenses.

#### Quadragesimum

Nemo studentum posthac conferat se ad domos nuptiarum saltaturus, nisi impetrata vema a rectore vel promotore, vel a decano, secus, puniantur dimidiato aureo.

#### Quadragesimum primum

Voluit item universitas, ne ullum membrum in academia agens discipulum vel professorem, occulte vel publice, per se aut per alium exercent mercaturam, vel artem mechanicam, sub poena amissionis quaesitorum ex mercatura, ac insuper duorum aureorum.<sup>19</sup>

---

<sup>18</sup> Im Statutenbuch ist „organo“ rot unterstrichen.

<sup>19</sup> Im Statutenbuch ist „exercent...poena“ und „insuper duorum aureorum“ unterstrichen.



#### Quadragesimum secundum

Convictus de statuti alicuius violatione, et poenam arbitrariam dare pertinaciter recusans contra auctoritatem rectoris, cui sacramento astrictus est, poena periurii teneatur, et reiiciatur.<sup>20</sup>

#### Quadragesimum tertium

Quilibet rectori aut promotori denunciatus super aliquo commisso, neque se coram purgaverit, tenebitur criminis obiecti, et puniendus est iuxta delicti magnitudinem.

#### Quadragesimum quartum

Adversus rectorem aut promotorem si quis convitia dixerit, aut contumelia aliqua eos affecerit. Item offenderit, laeserit, molestaverit, per concilium universitatis, secundum delicti modum in eum animaduertendum est, ut corrigatur, si nulla spes fuerit, ignominiose dimitendus est ab academia, et nulla studiorum, aut probitatis, aut promotionis testimonia, si forte postea petierit, ei concedenda.

#### Quadragesimum quintum

Similiter qui scholae statum, et literariam rempublicam perturbaverit, et doctores, licentiatos, magistros, iniuria affecerit, eos praesertim qui in munero professorum habentur, severe puniatur, ac deinceps eodem relapsus, eiiciatur.

#### Quadragesimum sextum

Periurii poenam incurrens, decreto concilii universitatis, officiis, dignitate, commodo et privilegio careat, quae alioqui habuit, aut habere potuisset, nisi sacramentum neglexisset, nec unquam ad ista redeundi ius habeat, nisi ab universitatis concilio absolutus.

Anno et die quo supra. (1548)

Deus dabit, si quisque nostrum suum faciat officium, suam benedictionem, in scholae nostrae nomen indies crescat.<sup>21</sup>

---

<sup>20</sup> Im Statutenbuch ist „convictus...violatione“ unterstrichen.

<sup>21</sup> Im Statutenbuch ist der Nachsatz „Deus...crescat“ in deutlich kleinerer Schrift geschrieben worden.